



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egrae, 1689**

Problema XLV. Cur à Philippo Jesus consilium petat? Dominica IV.  
Qvadragesimæ. Dicit ad Philippum: unde ememus panes? Joan. 6. v. 5.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



# PROBLEMA XLV.

Cur à Philippo JESUS consilium  
petat?

## DOMINICA IV. QVADRA- GESIMÆ.

*Dicit ad Philippum: unde ememus panes?*

Joan. 6. v. 5.

§. I.  
Cur non  
petatur  
consili-  
um Ju-  
dei.

**M**ultiplicatur JESUS miraculo panes consilium prius discipuli sui requirit & quidem Philippi, cur non potius Judæ, qui Philippo callidior & in oeconomicis longè erat eruditior. *Domine JESU non queras à Philippo* inquit Petrus Celenensis l. de panib. c. i. *querere à pro-*  
*ditore tuo. hic habet marsupium cum*  
*Scribis & Pbariseis, hic insidiatur*  
*sanguini tuo, hic habet denarios tri-*  
*ginta, unde panes emanuntur ad satia-*  
*tem omnis carnis.* Non adhibet Dominus Judam in consilium, quia viscera ferrea in pauperes gerebat & accipere quam dare beatius judicabat. Nihil æquè pio Domino displicet, quam crudelis avaritia, quam præ latrociniis magis exosa habetur. laudatur villicus iniquitatis, quod bona Domini sui in egenos dilapidasset, damnatur servus nequam, quod conservo misereri noluisset: *decem millia talenta* (verba Chrysostomi homil. 62. in Matth.) debebantur, non conviciatus est creditor debitori, sed misertus fuit, quando verò adversum confocium crudelitatem exercuit, tunc nequam ac im-

*probum servum appellavit.* poterat de Juda dici, quod de Achab ab Elia dictum fuerat: *occidisti insuper & possedisti.* grave peccatum est latrocinium, longè gravius detinere ea, quæ pauperibus danda forent. Existit itaque è consilio Judas, Philippus adsit. Cur hic præ ceteris omnibus? responsum ex ore Philippi accipiam.

Antiquitati fortasse JESUS detulit, quod præ ceteris Apostolis Philippum consuluerit, is enim maxime veteranus in societate fuit Apostolica, quippe qui primus voce externâ à Christo vocatus est. Ita docet Eusebius Gallicanus hom. de vigil. S. Andreæ: *primus omnium Apostolorum Philippus videtur esse vocatus.* Et merito quidem primus vocatur, qui os lampadis interpretatur: *tale namque os tunc omnes receperunt, quando in linguis igneis Spiritus sanctus super eos descendit.* Verum non arridet hæc vocati in consilium Philippi ratio ab antiquitate petita, jam enim in operariis supra docui, non temporis & ætatis sed meriti & virtutis à DEO haberis rationem.

§. 2.  
Prima  
duæ cau-  
re rejicien-  
tur.

D. Cyrillus Alexandrinus &  
Mm 2 Theo-

Confiliari-  
ns malus  
suppli-  
cum maxi-  
mum.  
Baæza to-  
l. p. 220.

Theophylactus ruditati Philippi adscribunt, quod à Christo de emendis consultus sit panibus. verba Cyrilli de Philippo sunt: *non erat adeò acutus, ut altiora posset intelligere, ut ergo radiorem ad sublimiora ingenio consequenda ē ad fidem vocans ē roborans rogat.* similiter Theophylactus: *non alium interrogat Christus quam Philippum, ipse enim magiore indigebat eruditione.* at unde quæso hisce Doctoribus tam vilis de eruditione Philippi existimatio? An quod candidâ fide Christum rogārit: ostende nobis Patrem & sufficit nobis? at hæc eximia erat Theologia, visionem appetere beatificam, quæ sola creatam mentem potest exsatiare. Non tam vilem de Philippo habuere opinionem gentiles, qui ut JESUM videre possent, neminem ex Apostolis alium quam Philippum rogaverunt, quem & Domini titulo condecorarunt, id quod nulli alteri factum esse legitur: *Domine volumus JESUM videre.* quod à Philippo non exegissent, si quæ oculi vix potest ruditas, ex oculis Philippo prospperisset.

*Joan. 12.  
v. 21.*

§ 3.  
Causa ter-  
tia, quia  
Philippus  
frequen-  
ter JESUM  
confule-  
bat.

S. Cyril-  
lus Alex.  
l. 3. in Jo-  
an. c. 13.

Mitius alii de Philippi prudenter & eruditione sentiunt, ajuntque avidissimum descendit Philippum præ omnibus Apostolis fuisse & frequentius ceteris Dominum consuluisse, quæ sedulitate promeruit, ut vicissim à Domino consuleretur, ab eoque in præclarissimum efformaretur Doctorem: Sententiae hujus patronum ipsummet habeo Cyriillum ita loquentem: *libenter Philippus discebat, querebatque sapientiam præclaræ indolis specimen est audiens & interrogare, sicut de duodenii Jesu inter Doctores confidenti testatur Evangelista, efficiturque plerumque Doctor eximus, qui gnatum se exhibuit discipulum.* Cor docile Salomon petiit, ut judi-

care populum posset: *dabis seruo tuo cor docile* 3. Reg. 3. v. 9. in hebræo est: *cor audiens, in græco: cor sapiens,* quasi idem sit cor audiens & docile, quod cor sapiens & eruditum: sicut enim qui regit ē regitur, rectius ille regit, ita & qui docet ē discit, doctius ille docet. In magnam facile evadit sapientiam, qui accido dispositoque ad discendum est animo, Platonico consentiens symbo-  
lo: *discere non erubesco.*

Post auditam de semine & seminatore parabolam accesserunt divinum Magistrum discipuli quæsitum, quid sibi vellet ea parabola? quibus ipse dixit: *vobis datum est nōsse mysterium regni DEI* Luc. 8. v. 10. cur Apostolis solùm & non omnibus datum est mysteria nōsse? quia hi duntaxat interrogarunt & non erubuerunt discere; sic nos (inquit Doctor Angelicus) si volumus accedere ad eum, illuminabimur. is solus ad veram sapientiam pervenit, qui libenter interrogat & audit: *ille accipit, ait Theophylactus in c. 13. Matth. qui querit, ideoque discipulis soli, quæ interrogaverunt, accepterunt.* Immortalis felicitas Eunuchi Reginæ Candacis fuit interrogasse & admisisse instructorem. Curru is vehebatur, ut videre est Actor 8. & fallendi otii gratiâ propheticum legebât librum, cui ex Spiritu Sancti impulsu factus obviām Philippus interrogat: an quæ legeret, intelligeret? cui prudenter Eunuchus: *quomodo possum, si non aliquis ostendat mihi, ostendit Philippus quid legendum & quomodo intelligendum esset propheticis sermonis oraculum, itaque breviteroris intercapidine profecit, ut Eunuchum per baptismi lavacrum in vitam æternam regenerârit: eadem horâ credit inquit D. Hieronymus de hoc Eunacho ep. 103, ad Paulin.* *Et baptizatus ē fidelis ē Sardus fa-*  
*dus*

*H*ec est, ac de discipulo Magister: plus in deserto fonte Ecclesia, quam in aurato Synagoge templo reperit. tantum profuit Eunicho Philippum admisisse in Magistrum etsi hic specie externâ ut vult Chrysostomus, contemibilis appareret (latet enim non raro speciosa sub rudi pallio sapientia, & plumbea vicissim sub aurata chlamyde ignorantia) factus enim mox è discipulo Magister, atque ut loquitur orator aureus, nobis omnibus propositus Doctor est: locutus ille barbarus currū nectus, eum, qui vīlis videbatur, & ex vestitu facile contemibilis, rogarvit ut ascenderet & secum federet. Vides ut nihil omiserit, quæ ab ipso fieri conveniebant? propterea deinceps Doctorem nactus, eorum vim, quæ proposta erant, accuratè discebat, & animo illuminabatur. Idoneus enim est barbarus iste, qui nobis omnibus Doctor fiat. hucusque Chrysostomus homil. 35. in Genes. Israëlitis mandatum est, ut quotannis solemniter phasee celebrarent causâ additâ: cum dixerint vobis filii vestri, quæ est religio ista? dicetis eis: viðima transitus Domini Exod. 12. v. 26. Erat quidem Hebræorum cura præcipua teste Josepho, cuius verba recito, Hebræorum inquam præcipua cura erat circa filiorum nutrimenta, eos divinarum legum custodiā, traditionem, pietatem, tanquam totius vite opus necessarium edocere, nihilominus filios interrogantes præcipue erudiri vult Deus: cum dixerint vobis filii vestri, quæ est ista religio. quia ille solus dignus est sapientiam invenire, qui novit interrogare, ille solus ad doctoratus arcem & apicem ascendere dignus est qui discere non erubescit. Erubescant, qui in rebus dubiis viros prudentes ac doctos consulere nolunt, in ignorantis suis hærere & perire malunt, quam ad

cognitionis lucem & salutis scientiam manuduci. Sed ad Philippum redeamus. Consulitur hic à Christo, quia ceteris Apostolis frequentius & studiosius Christum ipse prius consultuit, consulamus Jesu vicarios & ab eis veritatem DEi ediscere non erubescamus, & consulēt quam optimè omnibus Jesus.

Quodsi meam proferre mihi liceat sententiam, cur præ aliis in consilium vocatus sit Philippus, aio ideo hunc electum, quia perfectum perfectissimi consiliarii exhibit exemplar, quod ex ore & moribüs Philippi quam brevissimè demonstrare fas sit. Bethsaidā oriundus erat Philippus, quæ civitas Domum frugum latine significat, habebatque exploratissima loca, unde cibus poterat comparari. Ecce primam in eligendo consiliario cautelam, ut advocetur is, qui majori cognitione rerum atque experientiâ pollet, & natus educatusque iis sit in rebus super quibus consultatio instituitur. Deinde Philippi tessera erat, quam sub alto diu corde pressit, sub ultimam denique cœnam ore expressit: sufficit nobis Joan. 14. v. 8. observa cautelam secundam, quæ non potest non esse secundissima, in electione consiliarii necessariò adhibendam, ut talis sit, qui corde sentiat & aperto ore dicat: sufficit nobis, qui enim rebus & spebus suis novit dicere: sufficit nobis, utiliter consultetur, cum principi potius quam sibi consulturus sit. Præterea os lampadis Philippus audit ob perspicuum in loquendo candorem & singularem verborum gratiam atque sinceritatem, demonstravit hanc, cum ceteris Apostolis ore uno dicentibus emamus ducentis denariis panes & dabimus illis manducare Marci. 6. v. 57. solus contradixit Philippus: ducitorū denariorū panes nō sufficiunt

§. 4.  
Causa  
quarta  
quia Phi-  
lippus ex-  
emplar  
perfectis-  
simi Con-  
siliarii.

*eis. inclinari videbatur Christus, ut panes emerentur, quibus emendis ducentos denarios sufficere censebant ceteri Apostoli, solo reclamante Philippo, & hic idcirco exclusis aliis in consilium vocatur, ut instruamus inquit doctissimus Sylveira, pendum ab illis esse consilium, non qui voluntati nostrae obsequentes sunt, sed qui juxta rectam rationem ac prudentiam communitati potius utilia, quam principi jucunda loquuntur. Pluris tibi sit, si Josaphat & non Achab es, Michæas unus qui veritatem licet omnibus exosam loquitur, quam quadringenti prophetæ, qui loquuntur mendacium. Achabi vox est: *ego odi eum, quia non prophetat mibi bonum sed malum* 3. Reg. 22. v. 8. Josaphati vero vobis: *adjuro te, ut loquaris mibi quod verum est in nomine Domini* v. 26. perpetua mali Principis nota & ruina est, malle audire Consiliarios qui loquantur falsa quam falsa, loquantur non vera quam dura & fera sive ut Isaías habet, qui loquantur placentia quam quæ recta sunt. Denique Philippi votum & scopus erat: *ostende nobis Patrem*, nobilissima Consiliarii optimi tessera est, ad visionem beatam votis omnibus anhilarum, nec mortale quicquam terrenum & caducum intendere sedvidentis omnia vindicantisque Patris oculum præ oculis habere. Facile foret hæc singula fusori deducere calamo, sed quia neque temporis & loci hujus neque muneric & mentis meæ est Consiliarios perstringere, aut Principes de Consiliariorum selectu erudire, paucula hæc in Philippi electi dilectique ab æterna Sapientia Consiliarii gratiam insinuisse sufficiat.*

*§. 5.  
Causa 5.  
tentandi  
gratia.*

Verum ne ab Evangelio abeam, causam interrogati Philippi Evangelistes adstruit: *Hoc autem dicebat tentans eum*, ergo tentandi gra-

tiæ Philippum Jesus interrogat: unde panes? & cur tentat Jesus? Credebam haec tenus Jacobo in Catholica sua scribenti c. i. v. 13. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam à DEO tentatur, DEUS enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, & jam ab Evangelista audio tentatorem Jesus esse: *hoc autem dicebat, tentans eum, qui hoc intelligam?* respondet Salmeron: *DEUS intentator malorum est, hoc est, neminem ex malis, sed tantum ex bonis tentat*. vel ut S. Augustinus l. 2. de consensu Evangelistarum c. 30. alia significatione intelligitur tentatio de qua dictum est: *DEUS neminem tentat, & alia de qua dictum est, tentat vos Dominus Deus vester ut sciatis si diligitis eum* Deut. 13. illa seductionis est, haec probationis. tentatur itaque Philippus, quia bonus est & præ ceteris bonus; tentamur quandoque & nos, quia vel bonis sumus vel ut simus boni.

In propriam agnitionem & humiliationem tentationes permituntur, amat enim Deus esse nos humiles. *qui non est tentatus quid scit?* ait Ecclesiasticus c. 34. v. 11. nec scit quid ipse sit. Nescimus saeppe quid possumus ait Thomas Kempensis, sed tentatio aperit, quid sumus. sunt adamantes quidam, qui malleorum istibus franguntur, sunt alii (& quidem Plinio teste c. 4. lib. ult. Indici & Arabici) qui malleos frangunt. ut ergo sciamus, quis genuinus sit adamas, malleo opus est, & sicut ille adamas habetur in pretio, qui non cedit istibus, ita ille fidelis, qui resistit temptationibus. ut se cognosceret Paulus, colaphizari permisus est, ut in humilitate persistaret Adam, Petrus, David, Thomas &c. tentati immo & prostrati sunt, quod solidiores resurgerent. *Vasa figuli probat fornax* & homines justos tentatio Ecclesiastici c. 27. *DEUM*

um figulo, hominem figlino vasi conferens, sicut autem figulus scit, quādiu vas in fornace relinquendū, nē vel exuratur vel molle & ineptum remaneat, itā DEUS cit, quādiu hominem in fornace tentationis excoquere debeat. agnoscat proinde in temptatione homo sellum esse, humiliet se & vicit. Antonio Magno laquei temptationum à DEO ostensi & ratio vincendi suggesta est, videlicet *Humilitate*. Tentatur itaque homo in sui ipsius cognitionem & exercitium virtutis; sic arbor radicatur solidius ventis impetu, sic pileum fortius tenet viator (ut est in fabula de Apolline & Euro) sic fontes aestate frigidiores, hyeme sunt calidiores. Abbas Pastor ut refert Palladius dicenti: *ora vi DEUM & libera vit me ab omnitemptatione*, respondit: *ora potius DEUM, ut tua tibi redeat tentatio, nē fias deses & negligens*. Cant. 4. orat sponsa: *surge Aquilo & veni Auster*, noxius hic, frigidus ille ventus est, cur ergo in votis? fluent aromata virtutum imo & diadema gratiarum. Elegantissimè S. Bernardus de inter. dom. *molesta est lucta, sed fructuosa*, quia si habet pnam, habebit & coronam. Non nocet sensus ubi non est consensus, imo quod resistentem fatigat, vincentem coronat. *Quoties restiteris, toties coronaris*. Eremita, qui unā nocte septies temptationem somni vigilando apud ægrum vicit, totidem meruit coronas. Quidam religiosus à morte comparuit ex condicto & edixit quārenti, utrum sibi pro temptationibus satisfactum? solus applausus mihi venienti factus & dulcedo basii à Christo dati superat omnem molestiam. At num & Philippus ex hac temptatione sua meruit basium & coronam? ducentorum

denariorum panes non sufficere respondit, de æterno tamen Patre postea locutus, sufficere solam illius visionem ad perfectam satietatem affirmavit: *ostende nobis Patrem & sufficit nobis*. adeoque sensus verborum Philippinorum fuit interprete D. Antonino: *non sufficit panis idest refectio ejus ad sufficientiam et si aliquando reficit, Pater perfectè reficit*. quo sensu si consilium suum Philippus protulit, non unum duntaxat denarium & basium, sed ducentos & supra coronatos, imo coronas promeruit, docuit enim verò omnem sufficientiam à DEO esse, ab eoque panem petendum, qui perfectè reficit, & nunquam deficit.

S. Anton.  
ni. p. i. tit.  
S. c. 4.  
§. 3.

Sed jam nos ad problematis hodierni coronam properemus & in sacro emblemate populum Israëlis speculemur depluo è cœlis pane pastum cum lemmate: *tellus si negat, astra dabunt*. Eliam imaginemur, quem dapifer pascit corvus, & repetito suo crocitu de crastino monet solicitudinē non esse *cocus crastibis rursus ero*. Addamus & Sapientanam viduam cui farina de lecytho non deficit, apponente epigraphen Eliā: *non deficiet*. Danielem ab Habacuc in lacu leonum refectum appingamus cum eminentissimo lemmate Cardinalis Philippi Boncampagni: *DEUS providebit*. Denique Philippum mihi imaginor, qui ad quæstionem Magistri: *unde accipiemus?* clausam ejusdem manū osculatur (quemadmodum à matribus nummulis manu non nunquam joco clauditur, & unde accipiendo sit, ex parvulo quæratur) atque ex Psalte reponit: *Aperi tu manum tuam. vel solenne illud: sufficit haec nobis.*

§. 6.  
Emblema.